

1495 prælio non interfuerunt, expectantes quam is in partem eas vocaret. ille autem a Gallis imperfectus fuerat. ita qui repulsi atque fracti fugæ se mandare cogitabant, restituto ab reliquis aciebus, quæ regi auxilio venerant, prælio, se continuerunt. Pugnatum igitur est acriter, ut ante dictum est, ab utrisque, cædesque ingens facta: eoque res horæ spatio deducta, ut neutris plane victoribus, defessis potius pugnando, quam permittentibus Venetis, Galli se celeriter subriperent: ac magna impedimentorum parte direpta, cumque iis regio tentorio, & cubiculo, & suppellectili sacra, qua rex in templo utebatur, signisque militaribus aliquot amissis, tantum itineris quantum lassitudine atque vulneribus confecti poterant, contendenter, noctemque illam magno cum timore sub dio sine tabernaculis, sine castris exigerent. Imperator sua in castra reddiit. Desiderati sunt ex Venetis circiter mille quingenti: quorum non minimam quidem partem vel iniquitate loci detentam, & vagam, vel acceptis vulneribus, aut suffosatis equis prolapsam & morantem, calones lixæque Galli, quorum per magnus erat numerus, qui ab equitatu leviore disjecti se ad acies referebant, desertos a reliquis militibus plures singulos adorti securibus interfecerant. Ex iis qui fortiter pugnantes interierunt, fuere, praeter Rodulfum, imperatoris præfectus militum Ranutius Farnesius Romanus, claro loco natus, vir magna virtute, Alexandri Farnesii illius, qui postea Pontifex Maximus creatus, Paulus tertius dictus est, patruelis frater; & familiaris imperatoris comitatus parte plus media, tum præfecti equitum viri fortissimi duodecim, centuriones quatuor. Bernardinus autem Montonius, multis vulneribus acceptis, equo dejectus, inter cæsorum corpora repertus, per suorum humeros relatus in castra, servatusque est. In ipso vero prælio Nicolaus Ursinus, quem Nolæ captum a Gallis dixeramus, & rex custodiri jufferat, pugnantibus omnibus elapsus, ad legatos Venetos contendit, suamque operam reipublicæ pollicitus, Gallos prope fractos esse eos, si quævis una ipsorum acies insequatur, terga daturos